



Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devote.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Nos quoque, ceu nummos, percutiendos; & eâdem cum Christo
imagine signandos esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

scuris notis, sed altè omnino, flagitorum, spinarum, & (u-
ferè usus est in nummis nostris) ipsa forma crucis, impre-
sus apparuit; & ita ex omni latere percussus, ut nulla in
eo reperiretur particula, crucis figurā non insignita, hoc est,
doloris aut ignominiae vacua. Quod si ipse Deus in Unigeni-
tus, qui seu formam Dei, seu formam hominis in eo specta-
res, totus aurum erat & pretium, attamen validē à Deo Pa-
tre percuti debuit, ut ista passionis & crucis tanquam publi-
cā & legitimā formā signaretur: quid demum me fieri;
aut quantis me putem, & quād validis afflictionum ierbibus, ut
debitum in modum configurer, esse pulsandum? qui, feni-
instar, vilis & obscurus, tum etiam ad typi divini impressio-
nem durus sum; insuper & aliā formā antē percussus: mili-
ut recudendo reformatōve, eō majore vi, cōq; pluribus
ac repetitis percussibus opus sit; dum veteris hominis effi-
gie opprēsā & abolitā penitus, novissimi Adam imagine,
hoc est, Iesu Christo crucifixo, consigner. Veluti nos quā-
d. Cor. 15. que admonet B. Apostolus: *ut sicut portavimus imaginam
terreni, portemus & imaginem celestis.* Sed hoc ipsum mo-
dō paulo pluribus exequendum est.

§. 2.

*Nos quoque, ceu nummos percuiendos; & eadem cum
Christo imagine signandos esse.*

Quamobrem ut ista commentatio, in rem usūmque no-
strum transferatur; utile erit quæ subjungimus, paulo
accuratiūs expendere.

*Primum: cùm etiam unusquisque nostrum nummus
esse debeat, quo cœlum & vita beata comparetur; secundūm:
Serm 64. de dūm quod à S. Augustino, de Regni cœlorum pretio dis-
serb. Dom. rente dictum est: *Res ista tantum valet, quantum est;* u-
Ep. ad Ma- da, & habebis illam: Et à S. Ignatio Martyre in quadam
gratia epistola: *Virum pium esse numisma à DEO signatum:* etiam
aque*

atque etiam videndum est, quâ formâ hic noster nummus percussus sit, & Christi an bestiæ charactere, novi an veteris Adami imagine insignitus. Nisi enim signo Thau, hoc est, Christi cruce signati, nisi tribulationum & passionum tolerantiâ ad Crucifixi formam percussi aut cusi erimus; velut adulterini nummi rejecti, in cœlestes thesauros non infere-
mur. Quemadmodum enim denarius, regis imaginem ha- L. 4. c. 70.
bet; ita (ut ait S. Irenæus) quicunque salvantur, Regis ima-
ginem & inscriptionem accipiunt; quia nempè sunt confor-
mes imaginis Filij DEI, unâ scilicet formâ & eadem imagi-
ne signati, istic per gloriam, hic per malorum patientiam.

Quod proinde animo probè comprehensum habens Apostolus, id præsetrim satagebat, ut cognosceret (seu ex-
periretur) societatem passionum illius, configuratus morti Philipp. 3.
ejus: quod quid est aliud, nisi eandem cum Christo patien-
te ac moriente figuram suscipere, & tanquam nummos con-
formes eâdem formâ percussos esse. Quibus consentaneò
in Lucam scribens S. Ambrosius: Non mediocris est iste dena- L. 6. in Luc.
rius, inquit, quo regis imago formatur, qui trophaeum habet c. 7.
Imperatoris expressum. Trophaeum quippe Imperatoris no-
stri, crux est; quâ signandi sumus, ut denarij probabiles,
ac DEO accepti inveniamur.

At expreffissimè in rem præsentem S. Paulinus; dum
Sanctos ait esse aurum ignitum DEO; quia videlicet (inquit) Ep. 4. ad Se-
cos per examina passionum in bujus mundi fornace confitatos, ver.
invenit (ut scriptum est) dignos se; & in his sacram imaginis
sua percussit monetam. Eosdémq; ipsos subdit à DEO con-
stitutos tanquam numularios seu monetarios; ut secundum
suam formam probabiles Domino euderent nummos, & aboli-
tâ de nobis figurâ Cœsaris, vivum Regis aterni numisma signa-
rent. Sic ille.

Secundum: Quapropter cùm quid tibi grave ac per-
pelli asperum inciderit: assurge animo, & adversus omnem
D d d mala

malorum vim , temetipsum aliquā ejusmodi meditatione
confirma. Nummus es , quo ccelum emendum est , & be-
ta illa æternitas comparanda. Tundendus est nummus , &
regiam in se imaginem , & ab hac pretium , dignitatem , &
que estimationem accipiat. Quid percutientis manu
refugis , pretium futurus æternitatis ? Percutit te Deus ;
sed ita nempe necesse est , quō tibi , dilecti Filij , sui signum
imprimat , quō te ad ejus imaginem conformes , quō ipius
in te lineamenta atque figuram recognoscet , atque eo do-
mum te , ut monetam legitimam , & cui pretium & uisus
cælo sit , libenter recipiat. *Flagellat enim omnem filium*,
quem recipit.

Postremum : Proinde & illud Ecclesiastici præceptum
quo nos ad constantem malorum patientiam hortatur , in
hunc ipsum sensum commodè licebit accipere. *Sustine* , in-
Ecccl. 2. *sustentationes DEI : coniungere DEO , & sustine , &*
refusat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicatum fuerit,
accipe ; & in dolore sustine , & in humilitate tua patientiam
habbe : quoniam in igne probatur aurum & argentum , homi-
nes verò recepsibiles in camino humiliationis. Quā quidem
gravi & seriā conduplicatione , perinde facere videtur , ac
diceret : Vis esse homo receptibilis , aurum probatum , mo-
netā cælo & Dño digna ? Omne quod tibi applicatum fuerit,
accipe ; ignem , ferrum , malleum , dolores , angores , af-
flictiones sustine . His enim oportet hominem excoqui
his percuti , tundi ; hisce formari , ut morti configuratus
Saluatoris , evadat moneta æternitatis.

O Domine ! paratum cor meum , paratum corpus
meum. En adsum , runde me , quando ita convenit ; & lie-
per incude crucis tuæ positum , quacunque me voles formā
De imitat. *percute.* *Etenim* (utrait quidam servorum tuorum) *dummo-*
Chr. 1.3. c. *do tandem ad portum salutis perveniam : quid cure est , quā*
57. *quanta passus fuero ?*

CAPUT